







DE  
DOMINIO PRINCIPIS  
EMINENTE IVRE  
MAIESTATICO

AVCTORE

CHRISTIANO FRIDERICO IAEGERO.



---

HELMSTAD I  
PRELO LEVCKARDIANO  
M DCC XLVIII.

1, 214.  
8. 1155.  
4 22.  
1748, 7  
8

*De dominio principis eminentis.*

53





DE  
DOMINIO PRINCIPIS  
EMINENTIS IURE  
MAIESTATICO

AVGUSTO  
CHRISTIANO FRIDERICO IMPERATORI

HERMANNI  
FRIDERICI LEONHARDI  
HOCCEVANI





VIRO  
CONSULTISSIMO AC EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
FRANCISCO DOMINICO  
HAEBERLIN

I. V. ET PHIL. D. HISTORIARVM IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA  
PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO, ET INCLYTI PHILO-  
SOPHORVM ORDINIS P. T. DECANO

PATRONO SVO QVOVIS OBSERVAN-  
TIAE CVLTV PROSEQVENDO  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HO-  
NORES CAPESSENTI

TENVEM HANC GRATAE MENTIS TESSERAM GRATVLAVNDVS  
OFFERT

CHRISTIANVS FRIDERICVS IAEGEER.



**Q**uantis olim deliciis ordo Docto-  
rum, habitus, quantoque digni-  
tatis fastigio fuerit collocatus,  
quemque testis temporum hi-  
storia docet. Constat enim primis tem-  
poribus, ipsos equites & summos prin-  
cipum consiliarios magno molimine  
ad hanc dignitatem adspirasse, perexi-  
mioque duxisse honori, quod ea fue-  
rint conspicui. Nec illud adeo mirum  
videri poterit, quoniam priuilegia no-  
bilitium, aliaque non ignobiliora jura  
Doctoribus esse tributa scimus. Hinc  
eo vehementius est dolendum, quod  
tam præclarus ordo notabilia sensim  
decrementa ceperit, quorum hoc loco  
causas conquirere nimis odiosum fo-  
ret. Ut reliquas taceam, præcipua po-  
nitur in vituperabili non Doctores, sed  
potius Doctorellos jurium creandi mo-  
re, qui non nunquam obtingit. Hic  
vero mos bene merentibus viris noce-  
re



re nequit, eorumque susceptam di-  
gnitatem non imminuit, sed mirifice  
potius extollit, quoniam in illis pri-  
stinus hujus splendor quasi reviviscit.  
Propterea TIBI VIR CONSULTISSIME ac  
EXCELLENTISSIME non ego tantum o-  
mni, qua par est, observantia gratu-  
lor, de novis honoribus obtentis, sed  
& universus Iureconsultorum specta-  
bilis ordo sibimetipsi congratulandi  
causam habebit, de recepto noviter  
insigni societatis ornamento, justitiæ-  
que sacerdotii fulcro. TE certe talem  
veneror Doctorem, qualem saluber-  
rima summorum imperantium vo-  
luntas in hac dignitate conferenda  
primitus desideraverit. Hinc igitur  
confidentissime statuo, TE non utri-  
usque, sed omnium pæne jurium Do-  
ctorem esse salutandum. Sed quid o-  
pus est multis verborum lenociniis in  
TVAS excurrere laudes, cum res ipsa



TVAM suscipiat causam? Provoco testes omni exceptione majores, insignia scripta, quorum tot prostant, quot perennem auctori famam nominis conciliare possunt. Hæc loquantur, ut rectius ipse fileam. Ceterum ardentissime precor, ut Deus T. O. M. vires corporis ac animi TVI non conservet tantum, sed mirifice augeat, in sui nominis gloriam, orbis literarii emolumentum, Iuliæ Carolinæ decus. Tandem ut in posterum quoque TVA me benevolentia prosequi pergas, observantissime rogo. Dab. Helmstadii, die XVIII. mens. Octobr. MDCCXXXVIII.







§. I.



Ius de actionibus entis cujusdam pro arbitrio disponendi dicitur *Imperium*. Coëtus liberorum hominum, sub imperio communi, securitatis causa sociatus, *Civitas*, *Respublica*, quicquid ex civitatis idea consequitur, id *Civile* vocatur. Hinc ubi civitas ibi imperium civile. Imperium civile *Majestas*, juraque cum illa connexa *Majestatica* dicuntur. Hinc ubi civitas, ibi majestas, jura majestatica. Majestate gaudens *Imperans Civitatis* audit.

*Scholion.*

Duo cum primis circa notionem imperii monenda sunt, (1) quidam ejus conceptui characterem *entis intelligentis* injiciunt, sed frustra. Nam obstat imperium in bruta, (2) arbitrium in definitione positum non *ab-*  
*so-*



*solute, sed restricte*, prouti legibus circumscribitur intelligendum est.

## §. II.

*Imperans civitatis habet jus ad omnia legitima remedia securitatem civitatis actuantia.* Nam civitatis imperans majestate gaudet, hinc imperio civili, adeoque jure dirigendi actiones civium ad civitatis securitatem (§. I.) Ergo jus ad omnia legitima finem actuantia remedia. Ergo.

*Scholion.*

Ius ad finem dat jus ad media. Hæc sunt multiplicia. Nam aut legibus conveniunt, & *legitima*, vel minus, & *illegitima* dicuntur. Illa vel ceteris convenientiora sunt vel minus. Ius ad finem non dat jus ad media illegitima, nec ad inconvenientiora reliquis, sicut alibi probatur.

## §. III.

*Ergo civitatis imperans habet jus in omnia civitatis bona.* Felix enim civitas esse nequit sine bonis. Omnia possunt esse media finem civitatis actuantia. Quatenus ergo legitima sunt ac convenientiora reliquis, in eadem civitatis imperans jus habet (§. 2. Schol.) Ergo.

## §. IV.

*Ergo tam in substantiam quam consecutaria bo-*  
no-



*norum civitatis jus habet.* Namque jus habet in omnia civitatis bona (§ 3) hæc dupliciter considerari possunt; qua substantiam, qua consecraria. Prout igitur bona civitatis vel illo, vel hoc, vel utroque respectu sunt media legitima ac reliquis convenientiora finem civitatis actuantia, ita jus imperantis bona civitatis vel priori, vel posteriori, vel utroque modo ponderata, concernit. Ergo.

## §. V.

Bona civitatis duplicis sunt generis. Aut enim in dominio totius civitatis, aut civium existunt. Priora *Publica*, posteriora *Privata* dicuntur. Illa vel imperantis sustentationi destinantur, & *Bona Fisci*, vel reipublicæ necessitatibus, & *Bona Ærarii* vocantur.

## §. VI.

*Ergo civitatis imperans habet jus in bona publica civitatis eaque fisci & ærarii, tam qua substantiam, quam qua consecraria.* Namque jus habet in omnia civitatis bona (§ 3) tam qua substantiam quam qua consecraria (§ 4). Hinc per antea demonstrata jus idem illi competet in  
B bona



bona publica, quocunque modo spectata, ni dispar subfit ratio, vid. (§ 2) Ergo.

§. VII.

*Nec minus illi competit jus in bona civium privata, si bona publica non sufficiunt actuando civitatis fini.* Namque jus habet ad omnia media finem civitatis actuantia (§ 2) ad hæc referuntur bona publica & privata (§ 3. 5.) Aut igitur illa sufficiunt obtinendo fini, aut minus. Si prius, nullum jus illi competit in bona privata, quippe quæ omni modo civibus relinquat salva (§ 1.) Si posterius, aliud dicendum est. Ergo.

§. VIII.

*Hinc non sufficientibus bonorum privatorum consecrariis, illi jus in substantiam eorum competit.* Namque jus ad finem dat jus ad media sufficientia fini (§ 2. Schol.) Atqui non sufficiunt consecraria bonorum privatorum (per hypoth.) hinc quatenus exercitium juris in substantiam bonorum privatorum cum eorundem consecrariis concurrat tanquam medium legitimum ceterisque convenientius, illud imperanti competit indistincte. Ergo.

§. IX.



## §. IX.

Res ad τὸ nostrum pertinet, de qua exclusis aliis disponere, eamque amissam vindicare possumus. Res propria dicitur, quæ ad τὸ nostrum pertinet. Affectio qua res propria dicitur, audit *Proprietas*. *Usus rei* est eius ad vitæ humanæ partim necessitates partim commoditates applicatio, cf. celeb. *Canzius in Discipl. Moral.* § 1676.

## §. X.

Proprietas rei, cum jure ad ejus usum conjuncta *Dominium* præstat. Ius imperantis, urgente gravissima reipublicæ necessitate, bona subditi, tam qua confectaria, quam qua substantiam, ad obtinendum reipublicæ finem, arrepta, applicandi, *Dominium Eminens*, Grotio dicitur.

*Scholion* I.

*Puffendorffius de O. H. & C. lib. 2. cap. 15. § 4.* sequenti modo dominium eminens finit; *In eo*, inquit, consistit, ut urgente reipublicæ necessitate bona subditi cuiuspiam, quibus præsens tempus maxime opus habet, ad usus publicos arripi & applicari queant; licet ista longe superent ratam partem, quam is ad sumtus reipublicæ conferre tenebatur. Suavem igitur notio *Puffendorffiana* nostraque concordiam spirant, addeſis *Ill. Bækmerum in Iur. Publ. unio P. Sp. l. I. c. 4. § 27.* celeb. *Darjesum in Inst. Jurispr. Univ. § 700. corollar.*



*Scholion 2.*

*Canzii l. c. §. 1039 philosophia hæc est; Quando propter moræ periculum civibus tributa ex § 1038 urgente gravissima civitatis necessitate (quæ tempore belli, aut in annonæ extrema difficultate obsessæ v. g. urbis, fieri potest:) hic & nunc e vestigio imponi non possunt: competit imperanti in proximos quosque opulentiores cives potestas, eorum bona in usus publicos adhibendi. Hæc potestas Dominium Eminens dicitur. At secessum feci qua characterem civium opulentiorum definitioni injectum. Namque dominium eminens & ad minus opulentiores porrigi mox probabitur.*

## §. XI.

*Dominium eminens est verum dominium.* Nam ponit rem, de qua potest imperans in casu necessitatis, exclusis aliis, disponere, alienatamque vindicare (§ 10) adeoque rem *hoc respectu* ad  $\tau\delta$  suum imperantis pertinentem, hinc *eatenus* propriam, adeoque proprietatem & jus ad rei usum, ergo dominium (§ 9.) Ergo.

## §. XII.

*Et competit omni civitatis imperanti.* Hic enim jus habet ad omnia finem civitatis actuantia remedia (§ 2. Schol.) hinc in omnia civitatis bona (§ 3) adeoque in bona civium privata (§ 7) tam qua consecraria, quam qua substantiam (§ 8.)



(§ 8.) Inde dominium eminens (§ 10.)  
Ergo.

## §. XIII.

*Ergo dominium eminens est jus majestaticum.* Est enim jus competens omni civitatis imperanti qua tali (§ 12) ergo quatenus imperium civile gerit, adeoque quatenus majestate gaudet, ergo jus illud ex majestate concipitur, hinc est majestaticum (§ 1.) Ergo dominium eminens est jus majestaticum.

## §. XIV.

*Bona civium, in quæ Princeps dominium eminens exercuit, cessante reipublicæ necessitate restituenda sunt.* Princeps enim omni modo reipublicæ quærat felicitatem. (§ 1.) Ergo singulorum, quantum fieri potest, membrorum. Ergo singulorum bona civium, quantum datur, facta tecta conservet. Ergo reipublicæ fine non obstante, restituat bona civium, in quæ dominium eminens exercuit.

## §. XV.

Sic habe paucis decisam verbis quæstionem: *Num Dominium Eminens imperanti competat nec ne?* GROTIUS dominium in vulgare & eminens dividendo, primus hanc vocem usur-



pavit, aliis licet HVGONI CARDINALI gloriam inventionis vindicantibus. Ipsum argumentum plenius ex instituto tractavere IACOBVS ANDREAS CRVSIVS, HELENVS POLITANVS, BOECLERVS in peculiaribus de dominio eminenti dissertationibus aliique. Quamvis igitur sole meridiano clarius sit principi dominium eminentis competere, nihilominus hæc doctrina multos eruditorum in transversum rapuit, scriptave plurima ut evulgarentur occasione fuit.

§. XVI.

Nempe superiori seculo vehementer hæc de re disputabatur inter IOHANNEM FRIDERICVM HORNIVM, & WILHELMVM LYSERVM, Wittebergenfes; quorum ille defendere dominium eminentis, hic impugnare conabatur. HORNIVS prima vice de hoc argumento suam aperuit mentem in dissertatione *de Dominio Supereminenti*, Wittebergæ, anno 1658. habita. Huic mox theses quasdam opposuit LYSERVS. Nec acquievit HORNIVS, sed in *Politica*, quam *Architectonicam* vocavit, contra *Lyservm* asserta pristina defendit. Mortuo tandem *Hornio*, *Lyservs* dissertationem: *Pro imperio contra*



*tra dominium eminens* anno 1673 edidit, lite sic inter utrumque sopita. Non autem intra cancellos VVittebergensium lis substitit, sed & alios ad pugnam allexit, qua re? nescio. Saltem argumenti gravitas id non effecit. Ceterum fere tota controversia logomachiam spirat, recte notantibus perspicacioris iudicii viris. Pluribus vide BVDDEVVM in *Select. I. N. & G. in histor. I. N. S. 53. pag. 79. 80. 81.* S. R. VVALCHIVM in *Lex. Philos. voc. Eigenthums-Recht*, pag. 670. 671. BOECLERVVM *T. I. Dissert. nr. 28. pag. 825. seqq.* BOEHMERVM *loc. cit. p. sp. l. 1. c. 4. S. 27. cum not. (O)* HEINECCIVM in *Element. I. N. & G. lib. 2. c. 8. S. 168. not. (\*)* TREVERVM in *not. ad Puffend. de O. H. & C. ad l. 2. c. 15. S. 4. nr. (I)*. GLAFEY *Bernunft- und Völkere-Recht pag. 597. S. 61.* CANZIVM *loc. cit. S. 1039. 1040. item 1479-1483.* DARIESIVM *loc. cit. S. 700. cum corollario.*

## §. XVII.

non Demonstratis equidem veritatibus addere dubiorum contra eas motorum resolutiones haud semper e re videtur, partim ob incom-

mo-



modum inde resultans, partim ob hanc causam, quod veritates demonstratae, licet acriter impugnentur ab aliis, inconcussum retineant robur. Hinc & nostrae demonstrationi qua dominium eminens Principi vindicavimus, argumenta dissentientium conquirendo, & confutando, parum roboris accedet, adeoque hoc jure negotio supersedere possemus, ni quaedam insigni, & ad fallendum incautos, idonea, veritatis specie, condita, prostant. Agedum! praecipua perlustremus.

### §. XVIII.

Primo sic argumentari videas;

*Quicquid occasionem tyrannidi praebet, illud non admittendum est,*

*Atqui Dominium Eminens.*

*Ergo.*

B. Negando minorem. Tyrannis enim est imperium violentum praeter mores & leges. Dominium eminens princeps sibi vindicat non contra leges, sed secundum eas (§ 12. 13.) *Praeterea notes Lyserum termino Domini Eminentis*



*tis cum primis offensum.* At (1) scrupulum hunc submovet (§ II). (2) Facile largimur, ut loco prioris aliud nomen usurpetur, modo res ipsa facta tectaue relinquatur.

## §. XIX.

Prius argumentum excipit aliud hujusce tenoris:

*Si dominium generatim est jus in re, quo res ita ad aliquem pertinet ut eodem modo non pertineat ad alterum: ut aliquis de re disponere, ac eam vindicare possit, aliis non æquo jure acturis: sequitur dominium eminens non esse statuendum.*

*Atqui verum est Antecedens.*

*Ergo & Consequens.*

Consequentiam sic firman;

*Si datur dominium eminens, sequitur ut res ad duos eodem modo pertineat, adeoque & impetrans & dominus privatus de ea disponere: eandemque vindicare possint.*

*Atqui falsum est Consequens.*

*Ergo & Antecedens.*

C

§. XX.



## §. XX.

Sed audiamus celeb. CANZIVM c. l. § 1480. 1481. solide disputantem; *Mibi, inquit, non difficilis videtur responsio. Aliud est dominium, aliud domini exercitium & usus. Aliud est dominium momentaneum extraordinariumque, aliud perpetuum & ordinarium. Aliud est dominium substantie individuae, aliud dominium pretii, quo substantia venit. Imperans habet dominium eminens in substantiam: privato interim relinquitur dominium in rei valorem. Nam restituenda civi bona esse, cessante reipublicae necessitate, quis est, qui nesciat? Dominium eminens est extraordinarium & momentaneum, dominium privati ordinarium & perpetuum.*

## §. XXI.

Pergit philosophus; *Non pertinet igitur eadem res eodem modo tum ad imperantem tum ad civem privatum id quod argumentum contrarium § 1479. supponit.*



*nit. Nam substantia pertinet ad imperantem, valor ad dominum privatum. Idque perinde est, atque in sortibus, substantia pecuniæ individua ad debitorem spectat: valor ad creditorem. Nemo tamen duo dominia ejusdem modi hac sententia statui dicet. Nihil est, quod in responsione viri celeberrimi desiderem.*

## §. XXII.

Agmen claudat hoc argumentum;

*Penes quem est rei proprietas, ab eo invito, si nullam commeruit poenam, transferri in alium non potest:*

*Atqui penes civem privatum est rei proprietas,*

*Ergo ab eo invito, & immerente, per dominium eminens transferri non potest.*

Ry. (1) Negando majorem. Nam quod per se injustum, in collisione officiorum potest



potest esse iustum, (2) limitando minorem. Penes civem privatum est rei proprietates; *urgentissima reipublicæ necessitate absente*; concedo; *eadem præsentem*: nego per (§ II.) Hæc sunt potiora dubia quæ resolutione digna videri poterant. Reliqua facile corruunt.

Sufficiant igitur hæc de dominio principis eminente dicta.





Helmsedt, Diss., 1748-49

ULB Halle

3


005 350 832











*Handwritten text on the book's spine: ... De ... principis ...*

1, 214.  
1155.  
422.  
1748, 7  
8

DE  
DOMINIO PRINCIPIS  
EMINENTE IVRE  
MAIESTATICO

AVCTORE  
CHRISTIANO FRIDERICO IAEGERO.



HELMSTADI  
PRELO LEVCKARDIANO  
M DCC XLVIII.

